

GEROLDVS PRAESES BOIARIAE.



Geroldus filius fuit Hildebrandi ducis Sueuo-  
rum, & Ruardæ Boiariæ ducis, cuius soro-  
rem Hyldegardin Carolus Magnus uxorē habuit.  
Erat is magna corporis & animi fortitudine prædi-  
tus, atque singulari prudentia ornatus. Itaque Caro-  
li Magni castra secutus, ob rei militaris peritiam ma-  
gnum inter principes sibi nomē comparauit. Hinc  
factum cum Tassilo dux Boiorū sua dignitate pri-  
uaretur, atque Monasterio includeretur, ut Gerol-  
dus à Carolo Magno, cui Boiaria cesserat, eius du-  
catus præses ordinatus fuérat. Itaq; Geroldus eam  
ditionem nactus, contra Auares & Hunnos forti-  
ter defendit, atque ueram religionem ubique homi-  
nibus prædicari iussit, id quod factum est anno Christi septingētesimo octua-  
gesimo octauo. Cum hoc modo magna gloria eam regionem longo tempo-  
re administrasset, tandem moriens, magnum sui desiderium apud omnes suæ  
ditionis homines reliquit. Auent.lib. 3 & 4.